

PRAEFATIO.

Cum post gravissimos Peerlkampii in Horatii carmina impetus multi praecipue in Germania viri docti in Horatio et interpretando et defendendo acerrimo studio elaborassent de plurimisque vel totis carminibus vel singulis versibus rectius quam antea esset factum iudicassent, non potuit non videri optabile, ut tanti studii ac laboris fructus scholarum in usum colligerentur iuvenibusque antiquarum litterarum opibus ad humanitatem informandis carpendi percipiendique offerrentur. Quod munus cum ego susceperem, et aliorum virorum quorum auctoritatem maximi semper haberem voluntati cessi neque quantae ad eam rem honeste sustinendam superandae essent difficultates ullo unquam tempore ipse me celavi. Nunc cum in eo sim ut librum emittam, viam quam in conscribendis commentariis secutus sim breviter monstrandam mihi esse existimo. Etenim rectam illam quidem esse confido; ego autem utrum constantia et viribus satis munitus eam perfecerim an facultatibus destitutus illuc quo tenderem non pervenerim in occultosque tramites devius declinaverim, illi videbunt quibus de his rebus rectum erit et aequum iudicium. Atque in conscribendis commentariis, quibus adulescentibus maxime consultum volumus, id ante omnia cavendum est, ne diversa consilia confundentes modo altiora praebeamus, ad quae iuvenilis animus non satis paratus accedat, modo viliora apponamus, quibus nihil ille alatur aut vires pos-

sit augere. Quare in edendis Horatii operibus eum mihi proponebam adolescentem, qui ad primam suae scholae classem bene munitus et paratus pervenisset, ad eiusque intellegentiam et scientiam omnem meam rem accommodare studebam. Aperiendus ei erat, quam id maxime fieri posset, poetae animus, via monstranda qua ad praestantiam rerum ac praeceptorum formaeque artificiosam venustatem intellegendam et aestimandam sensim perveniretur, ratio denique ostendenda qua cum sua aetate suisque aequalibus poeta olim coniungeretur, ne — id quod spe saepius nostra aetate factum est — pravum iudicium vel de carminibus vel de animo moribusque Horatii confirmaretur. Quo consilio vitam poetae praemisi ex poematis ipsis haustam neque maiorem quam quae facile ab adolescentibus legeretur et ita moderatam, ut quae certa essent et firma ab iis secernerentur, quae veri quidem similia multis viderentur, nunquam tamen p̄nitus possent explorari. In constituendis poetae verbis eam mihi legem esse volui, ut antiquissimorum et optimorum codicum, imprimis Cruquianorum et Orellianorum, auctoritatem sequerer neque ante aliorum et deteriorum lectiones reciperem quam illi aperte falsa praebent, coniecturis emendandisque periculis, quae in Horatium et olim fecerunt et nunc faciunt iniuria, prorsus abstinerem. Praeter ipsa verba magna etiam cura adhibenda erat de verbis sententiisque inter se coniungendis interpungendisque; in qua re haud scio an quid peius possit institui quam si quis patriae linguae naturam sequens nostrorumque grammaticorum severis legibus obtemperans cohaerentia membra latini sermonis foede dissecare, alienas partes violenter coniungere non dubitet. Cuius quidem rei tristia exempla olim collegi in Quaestionibus meis Horatianis p. 115—119. Adiuvamur cum

legimus sana interpungendi ratione, impedimur prava: atque audienda est illa vox Ciceronis de Orat. III, 46: „clausulas et interpuncta verborum animae interclusio et angustiae spiritus attulerunt.“ Iam ut de commentariis dicam, ita rem institui. ut praemissa brevi metrorum expositione — in qua ordinem a *Schnitzio* olim in programmate gymnasii Monasterii Eifliensis dilucide propositum meum feci — singulis carminibus argumenta praeponerem in iisque uberius quam id fieri solet in huius modi editionibus et tempora et loca describerem, de summa carminum sententia inquirerem, partes ostenderem, totam denique oeconomiam modo accurate exponerem modo cum totius operis angustum spatium brevitatis studium mihi imponeret, universe indicarem. In qua re hoc quoque secutus sum, ut consilio poetae explorato convenientiaque singularum carminum partium reperta malis quae hodie audimus de Horatii carminibus iudiciis occurrerem quantaque Venusinus poeta in expoliendis carminibus usus esset cura et arte digito monstrarem. Magnus enim carminis conficiendi artifex fuit Horatius, quantum omnia eius poemata pari laude digna esse quis sobrius dicat? Plurima in his rebus debeo doctissimis viris qui nuperrime de Horatio scripserunt, *Obbario*, *Orellio*, *Duentzero*, *Kirchnero*, *Luebker*, *Iacobsio*, *Grotfendio*, *Frankio*, aliis; quorum nomina ne, ubicumque eorum doctrina et opibus usus essem, nominarem libri vetuit brevitatis ac tota ratio. In singulis locis et versibus explicandis hoc volui cavere ne quid ex historia rerum gestarum, geographia, mythologia adferrem quod iam notum esse deberet adolescentibus ad primam gymnasii classem ascendentibus, ne quid expromerem quod aut artes grammaticae aut lexica latina, quibus uti solent discipuli, abunde praeberent, ne denique li-

bro a notitia vel copia adolescentium alienos moleste et importune laudarem. Quapropter qui citandi essent aliorum scriptorum loci, si ex Vergilio essent desumpti vel ex Ovidii *Metamorphoseon* libris similibusque, numeros tantum indicavi; aliter totos locos apponendos curavi. Illud autem efficere tentavi, ut quam plurima apponerem quae accuratiorem antiquorum morum ac vitae notitiam adiuvarè aut poetarum latinorum praecipue Horatii usum scribendi possent inlustrare. Neque omnino poteram criticis adnotationibus abstinere; quae tamen res cum difficillima sit et magnam partem a iudicio discipulorum remota, ea potissimum eligenda constitui quae et adiuvantibus magistris possent ab adolescentibus intellegi et iuvenilem animum acuerent et corroborarent. Ad calcem libri indices adieci; in iisque congressi et ea nomina quae aut apud Horatium aut alia de causa essent memorabilia omissis iis quae semel fortasse exempli faciendi causa attulisset poeta, et eas res quae in adnotationibus ad indicatos locos explicatae facile possent data aliqua occasione requiri.

Aquisgrani, Kal. Septembr. MDCCXLIII.